

AUGUSTINER-CHORHERREN-STIFT ZU ST. AFRA.

No. 147. 1205.

B. Dietrich II. begründet mit Zustimmung des Domcapitels bei der Afrakirche einen Convent der Augustiner-Chorherren, ordnet dessen Stellung zu dem Domcapitel, die Errichtung einer Schule für Chorknaben, die Pfarrechte und das Einkommen der Afrakirche unter Zusicherung des Schutzes der Stiftung durch den Landesherrn Markgraf Dietrich.

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Theodericus dei gratia Misnensis episcopus. Fidelis agricolae officium hoc exposcit, quod agrum sibi a patrefamilias commissum spinis succrescentibus radicitus evulsis ad producendos uberiores fructus fertiliorem¹⁾ reddere laboret, ne simul exortae spinae semen suffocare valeant et ne ipsius agricolae possint ullatenus evacuare labores. Hinc est quod cum simus cultores agri dominici et religionem, quam forte in nobismet ipsis non habemus, amplecti in aliis teneamur, ut quod per nostram absentiam negligitur, eorum precibus et suffragio compleatur, notum esse volumus tam nostri quam futuri temporis fidelibus, quod nos in ecclesia sanctae Aerae Misnae ante castrum in monte sita, quae ad donationem nostram iure episcopali spectare dinoscitur, pro remedio animae nostrae et pro negligentis fratrum nostrorum tam praesentium quam futurorum religionem de novo plantare volentes de consensu capituli nostri statuimus, ut in eadem ecclesia sanctae Aerae canonicorum regularium secundum regulam beati Augustini viventium sit conventus, liberam habens facultatem eligendi sibi praepositum sive de suo sive de alio eiusdem ordinis collegio, qui praepositus cum electus fuerit nobis et post nos futuris episcopis praesentabitur investiendus. Et ipsa ecclesia in festivitatibus patronorum nostrorum beati Johannis apostoli et evangelistae et beati Donati, dedicationis ecclesiae nostrae et in exsequiis canonicorum defunctorum seu in receptione principum successoribus nostris et matri ecclesiae honorem debitum exhibebit. Volentes igitur ipsam ecclesiam esse secundariam, propter favorem religionis praepositum ipsius ecclesiae in processione et in choro nostro iuxta latus decani nostri decrevimus statuendum, ceteri autem fratres eius qui sacerdotes fuerint infra nostros canonicos et supra perpetuos vicarios locabuntur. Statuimus etiam, ut nullus omnino ob aliquam causam eandem ecclesiam subiciat interdicto, nisi solus diocesanus vel nisi interdictum fuerit generale. Et ut divinum officium ibidem sollempnius celebretur, scholae illic XII puerorum secularium habeantur. Praeterea canonicos nostros et eorum vicarios animarum curis fatigari nolentes omnes milites in castro sive militares et eorum familias

1) *fertiliores Orig.*